

quamque ita rejiciunt, ut regis  
 examinatoribus duplum offerant  
 ejus numeri, ad quem excrefcere  
 Licentiarum numerus potest. Ita  
 fi centum & quinquaginta renun-  
 ciari oportebit, fcriptiones trecen-  
 te feponuntur, & ad Regionum ex-  
 aminatorum ftationem poftrimo  
 fcruinio excutiendæ transmittun-  
 tur; è quibus optimas quasque,  
 quantum pro numero Licentiaro-  
 rum fatis, fegegant. Ex eo inde  
 numero primas, fecundas, & tertias  
 deligunt, & in ordinem accurate  
 componunt. His peractis, omnes fi-  
 mul examinatores, tranfumpta cū  
 autographis, appofitis numeris, a-  
 gnita conferūt, & auctoris in auto-  
 grapho nomen legunt. Hęc nomi-  
 na cubitalibus literis defcripta, in  
 ingenti tabula exponūt, octava fe-  
 re luna exeunte, magno Magiftra-  
 tum concurfu, applaufuq; eorum,  
 qui Licentiatos renūciatos vel fan-  
 guine, vel neceffitudine cōtingunt.